

*Faciem suam firmavit ut iret Ierusalem.  
Sequar te quocumque ieris.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

9, 51-62

- <sup>51</sup> **D**um compleréntur dies assumptiónis Iesu,  
et ipse fáciem suam firmávit,  
ut iret Ierúsalem,
- <sup>52</sup> et misit núntios ante conspéctum suum.  
Et eúntes intravérunt in castéllum Samaritanórum,  
ut parárent illi.
- <sup>53</sup> Et non recepérunt eum,  
quia fácies eius erat eúntis Ierúsalem.
- <sup>54</sup> Cum vidíssent autem discípuli eius Iacóbus et Ioánnes  
dixerunt:  
«Dómine, vis dicámus,  
ut ignis descéndat de cælo et consúmat illos?».
- <sup>55</sup> Et convérsus increpávit illos.
- <sup>56</sup> Et iérunt in áliud castéllum.
- <sup>57</sup> Et eúntibus illis in via,  
dixit quidam ad illum:  
«Sequar te, quocúmque íeris».
- <sup>58</sup> Et ait illi Iesus:  
«Vulpes fóveas habent et vólucres cæli nidos,  
Fílius autem hóminis non habet, ubi caput reclínet».
- <sup>59</sup> Ait autem ad álterum:  
«Séquere me».  
Ille autem dixit:  
«Dómine, permítte mihi primum ire  
et sepelíre patrem meum».
- <sup>60</sup> Dixítque ei Iesus:  
«Sine, ut mórtui sepéliant mórtuos suos;  
tu autem vade, annúntia regnum Dei».
- <sup>61</sup> Et ait alter:  
«Sequar te, Dómine,

sed primum permítte mihi  
renuntiáre his, qui domi sunt».

<sup>62</sup> Ait ad illum Iesus:

«Nemo mittens manum suam in arátrum  
et aspíciens retro,  
aptus est regno Dei».

Verbum Dómini.